



CONGREGATIO DE CULTU DIVINO ET DISCIPLINA SACRAMENTORUM

Prot. N. 966/06/L

ITALIAE

Sanctum Ioannem Leonardi, presbyterum, Fundatorem Ordinis Clericorum Regularium, qui officium artis apothecariae pro cura animarum promovenda deseruit, christifideles, praesertim qui superdictam artem gerunt, eundem Sanctum eiusque auxilium continuo invocant atque peculiari necnon assiduo cultu prosequantur.

Inde Eminentissimus ac Reverendissimus Dominus S.R.E. Cardinalis Camillus Ruini, Vicarius Suae Sanctitatis Almae Urbis ac Praeses Coetus Episcoporum Italiae, communia excipiens vota, electionem Sancti Ioannis Leonardi, presbyteri, in Patronum apud Deum praedictorum christifidelium approbavit. Idem vero, litteris die 28 iulii 2006 datis, enixe rogat ut electio et approbatio huiusmodi, iuxta Normas de Patronis consituendis, confirmentur.

Congregatio porro de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum, vigore facultatum sibi a Summo Pontifice BENEDICTO PP. XVI tributarum, attentis expositis, cum electionem et approbationem ad iuris praescripta peractas esse constat, precibus perlibenter annuit atque

SANCTUM IOANNEM LEONARDI, PRESBYTERUM
PATRONUM APUD DEUM

CHRISTIFIDELIUM EXERCENTIUM ARTEM APOTHECARIAM

confirmat, omnibus cum iuribus et privilegiis liturgicis iuxta rubricas consequentibus.

Contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Ex aedibus Congregationis de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum, die 8 mensis augusti 2006.

(+ Albertus Malcolm Ranjith)
Archiepiscopus a Secretis

(D. nus Marius Marini)
Subsecretarius